

TITULUS XIX.

De divortiis.

1. Divortium a divertere nil aliud est quam *resolutio consuetudinis vitæ individuae quæ a matrimoniali contractu inducitur*. Hæc dissociatio si fiat relate ad *vinculum*, idest ita ut partes contrahentes plenam libertatem recuperent et ad alia vota transire possint, dicitur *divortium plenum*. Minus autem *plenum* dicitur *divortium*, quando manente vinculo conjugali, dissociatio fiat solummodo quoad torum et cohabitationem.

De divortio pleno.

2. Matrimonium ratum et consummatum inter fideles dissolvi nequit et dissociari quoad vinculum. Hinc lex est (*Rom. 7.*) non nisi per modum naturalem solvi hoc matrimonium fidelium. 'Mulier vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri.' Huic enim matrimonio tribuitur completa ratio signi unionis Christi cum Ecclesia per incarnationem, et ei applicatur Christi sententia: 'Quod Deus conjunxit, homo non separet.'

Sane Christus Dominus hanc sententiam retulit ad matrimonium cui conveniunt verba Genesis: 'Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.'

3. Quid vero dicendum de matrimonio infidelium? Juxta *cap. 4. De consang. et affin., et c. 8. h. t.* matrimonium infidelium est verum matrimonium, quia repræsentat officium naturæ. Quare in jure dicitur *matrimonium legitimum*, ad illud distinguendum a matrimonio *rato*, quod inter fideles est sacramentum. Jamvero matrimonium legitimum infidelium suam etiam habet indissolubilitatem. Matrimonium enim est semper contractus qui dirigitur ad mutuam et perennem societatem inter virum et uxorem. Hinc inspecto ipso jure naturæ, apparet indolem propriam matrimonii esse ut sit contractus stabilis et non transiens. Nam finis procreationis et educationis proles, necnon mutuam adiutorium excludunt mutabilitatem personarum, et insinuant ideam individuae vitæ consuetudinis, qua uterque finis expositus melius obtineri possit.

4. At rigor juris naturalis non videtur requirere in matrimonio infidelium proprie dictam indissolubilitatem, quæ in matrimonio christiano oritur ex ratione sacramenti. Nam 1^o. non ostenditur, prædictos fines semper perseverare in matrimonio ut perseverare deberet individua vitæ consuetudo. Sane non semper gignitur aut educanda est proles, sed in senibus præsertim hæc qualitas matrimonii non verificatur. Pariter ob conditionem morbi, negotiorum etc. fieri potest ut unus conjugum ab alio separatus ad longum tempus vivat. Quare mutui adiutorii ratio perennis simul et perpetua non est. Ergo nec ex ipsa natura matrimonium est prorsus indissolubile.

5. Accedit quod si matrimonium fuisset prorsus indissolubile, nec Deus ullo modo permisisset unquam illud solvi. Atqui inter Hebræos permisit Deus libellum repudii quo dimitti poterat uxor et alia duci, priore vivente, et viceversa, ita ut qui dimiserat conjugem suam non ad illam reverti teneretur. Hinc vera dissociatio matrimonii prioris locum habebat.

Nec audiendi sunt qui dicunt Deum solummodo tolerasse ob duritiam Judæorum matrimonium posterius, et non inflixisse pœnas contra illos qui offerebant libellum repudii; nam licet ob duritiam cordis concesserit Deus Hebræis ut uterentur libello repudii, tamen per illum dissolvebatur revera prius matrimonium, et novum contrahi poterat cum alia persona.

6. 2^o. Etiam ob *privilegium fidei* matrimonium contractum et consummatum in infidelitate dissolvitur quoad vinculum. Ergo matrimonium inspecto solum jure naturæ dici nequit prorsus indissolubile.

7. At nihilominus certum est matrimonium etiam antequam ad dignitatem sacramentalem elevaretur indissolubilitatem habuisse. Hæc indissolubilitas repetenda esse videtur ex primigenio jure positivo divino quod Adamo fuit intimatum, quæ intimatio insinuat in illis verbis Genes. 2, 24. 'Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhærebit uxori suæ.' Quæ verba satis superque indicant matrimonium ex Dei voluntate esse monogamum.

Huic legi facta est derogatio ab ipso Deo pro Hebræis per positivam legem, quam legem Christus Deus abrogans matrimonium ad pristinam conditionem unius cum una restituit. Quare ex lege divino-positiva Christi sublatus est libellus repudii. Hinc

proscriptus est mos, seu potius abusus, quo maritus hebræus conversus ad fidem mittebat uxori adhuc infideli libellum repudii juxta ritum judaicum, ut libera esset mulier a vinculo conjugii et ad alia vota transire posset. Ita in Constitutione Bened. XIV. *'Apostolici ministerii'* d. 16. Septemb. 1747.

8. Verumtamen matrimonium legitimum, ex primigenio jure positivo divino indissolubile, dissolvi potest etiam quoad vinculum ex privilegio fidei. Privilegium hoc promulgatum est ab Apostolo Paulo I. Corinth. VII. et in eo consistit ut conjugium in infidelitate contractum et consummatum prorsus dissolvatur in hypothese, qua unus conjugum christianam fidem amplectatur, et alter perseveret in infidelitate, nec velit pacifice habitare cum conjuge fidei. Cum vero idem sit infidelem nolle pacifice habitare cum conjuge fidei, et velle habitare cum injuria et detrimento fidei, hinc ex mente divi Pauli promulgantis privilegium fidei inducta est dissolutio matrimonii legitimi, sive quando conjux infidelis absolute nollet cohabitare cum persona fidei, sive quando nollet habitare absque *contumelia creatoris*. Porro pars infidelis nollet habitare absque contumelia creatoris, quando vellet habitare non sine periculo subversionis conjugis fidelis, vel cum execratione christianæ religionis, vel conaretur pertrahere partem fidelem ad peccatum perpetrandum. Hæc est interpretatio privilegii fidei facta ab Innocentio III. in c. 7. h. t.

9. Ita exposita Pauli doctrina, sequitur, per conversionem unius conjugis ad fidem non solvi matrimonium legitimum et conjugem fidelem illico ad alia vota transire non posse, sed faciendam esse duplicem interpellationem: 1°. An pars infidelis velit et ipsa christianam religionem amplecti. 2°. Posita negativa responsione, an velit pacifice habitare absque contumelia creatoris.

10. Verum ex Conciliis Toletanis habemus primam solummodo faciendam esse interrogationem parti infideli; ita ut pars conversa vel ex Judaismo vel ex Mahomedanismo possit post primam interpellationem rejectam ab infideli ad alia vota transire. Hæc disciplina a Conciliis Toletanis inducta est ob specialem conditionem Hispaniarum, qua cognitum est fuisse inutilem secundam interpellationem vel etiam noxiam. Siquidem experientia docebat conjuges infideles qui interrogati respondebant se pacifice habituros absque contumelia creatoris, ficto animo hanc promissionem fecisse: sed revera intentionem habuisse pervertendi et corrup-

pendi conjugem fidelem. Quare animus partis infidelis, utrum vellet pacifice habitare et absque contumelia creatoris cum parte fidei, cognoscebatur ex intentione conversionis ad fidem vel obstinatae contumaciæ et adhæSIONIS errori. Hinc pro Hispaniis solum et in illis circumstantiis secunda interrogatio facienda non erat; sed in genere facienda est.

11. Quid vero si interpellatio fieri non possit?

Casus revera contigit quando homines nigri coloris abrepti ex regionibus Africae ab Hispanis et Lusitanis ac deducti sunt in Americam. Homines hujusmodi nigri coloris conversi ad fidem volebant matrimonium contrahere. At plures jam uxores suas habuerant in infidelitate, nec sciebant ubinam morarentur. Hinc interrogationes fieri non poterant.

Quæstio discussa est inter Doctores. Alii arbitrati sunt conjugem fidelem, omissis interrogationibus, quas ob absentiam alterius conjugis, vel ob aliud impedimentum facere nequit, posse illico novum contrahere matrimonium.

12. Alii vero docuerunt necessariam esse dispensationem Summi Pontificis, qua interpretans jus divinum declarat ob adjuncta præceptum divinum interrogationis faciendæ non obligare.

Ita Pontius *De matrim. lib. 7. cap. 48. n. 22.*

Huic alteræ sententiæ adhæsit Sacra Congregatio Concilii in causa *'Florentina'* 17. Jan. 1722, et jam antea Gregorius XIII. Ordinariis, Parochis et Presbyteris missionariis Societatis Jesu in Anglia, Aethiopia, et Brasilia concesserat facultatem dispensandi ab interpellationibus faciendis, quoties constaret eas perfici non posse. Hanc facultatem concessit Benedictus XIV. Apostolico Nuntio Venetiis commoranti, pro catechumenis in pio loco Venetiarum receptis *Const. 3. Bullarii ejusdem Pontif. Tom. 1. De Synodo Diæces. lib. 6. c. 4. n. 3.* Post interrogationes frustra propositas, vel post obtentam dispensationem ab iisdem peragentibus, pars conversa ad fidem potest matrimonium contrahere per quod solvitur vinculum matrimonii contracti et consummati in infidelitate. Ita ex conceptu ipsius privilegii fidei et ex *cap. 8. 'Gaudemus'* in fin. h. t.

13. Quare matrimonium in infidelitate contractum non dissolvitur per susceptum baptisma, neque per factas interpellationes, aut post obtentam dispensationem ab eisdem perficiendis, sed quem-

admodum resolvit S. Congregatio Supremæ et Universalis Inquisitionis in responsione data die 1. Augusti ann. 1759, *'tunc solum conjugii vinculum dissolvitur, quando conjux conversus transit cum effectu ad alias nuptias.'*

Hinc licet pars, quæ in infidelitate permansit, contraxerit matrimonium, prius matrimonium non solvitur, solutio enim hujus matrimonii est ob privilegium fidei. Ait namque Paulus: 'Non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi, in pace autem vocavit nos Deus'.

Et revera fuit proposita quæstio in S. Congregatione Concilii ann. 1726, cujus hæc erat species. Titius Hebræus fidem suscepit et cœlibem vitam ducebat. Mœvia ejus uxor in hebraismo alteri nupsit viro. Deinde Mœvia et secundus vir fidem catholicam susceperunt. Quæsitum est utrum Mœvia possit permanere cum secundo viro, vel redire deberet ad Titium primum virum. Respondit S. Congregatio prius matrimonium adhuc subsistere, et Mœviam redire debere ad Titium primum virum. Quemadmodum eadem Congregatio alias reposuerat in causa *'Florentina'* annis 1679. 1680. Ita penes Benedictum XIV. *De Synodo Diœc. lib. 6. c. 4. n. 4.*

14. Quid vero si vir dum convertitur uxor religiosam professionem ediderit?

Nihilominus matrimonium in infidelitate contractum dici non potest resolutum. Nam in jure certum est per professionem religiosam resolvi quidem matrimonium ratum et non consummatum christianorum, non autem matrimonium infidelium. At conjux prius conversus usus est jure suo profitendi religionem. Hinc revocari non potest ab alio conjuge deinde converso. Stat ergo matrimonium in infidelitate contractum resolvi per novum matrimonium partis conversæ et non antea.

15. Hisce positis plures enodandæ sunt quæstiones. Et primo sciendum est ex Africa in Americam plures ductos fuisse masculos et fœminas, et inter eos plures fuisse vinculo conjugali conjunctos. At non in eadem regionem, qui erant vir et uxor, ducti sunt. Viri conversi ad fidem, obtenta dispensatione ab interpellationibus perficiendis, novum matrimonium contraxerunt. Idem peregerunt etiam mulieres. Labentibus annis contigit ut viri nonnulli suas veteres uxores invenirent, et cognitum est viros et

uxores eodem tempore fidem suscepisse. Quare eo tempore, quo faciendæ erant interrogationes, tum vir tum uxor fidem susceperant, et per consequens cessaverat ratio privilegii fidei, et matrimonium infidelium transiisse videbatur in matrimonium fidelium. Hinc non videbatur adhuc perseverare facultas discedendi. Resolutio enim matrimonii in eum casum devenisse videbatur, a quo incipere non poterat. Quodsi Ecclesia dispensavit ab interpellationibus dici debet eam fuisse deceptam. Nam ideo dispensavit quia præsumebatur conjugem infidelem nolle pacifice cohabitare cum conjuge fidei, quæ præsumptio falsa prorsus erat ob conversionem alterius conjugis.

Quæsitum est utrum reintegrandum esset prius matrimonium, an sustineretur matrimonium post conversionem contractum.

16. Summi Pontifices Gregorius XIII. et S. Pius V. responderunt secundum matrimonium sustineri, et prius matrimonium in infidelitate contractum resolutum fuisse. Ita penes Benedictum XIV. *De Synodo Diœc. lib. 13. c. 21. n. 3.* quo in loco citat Constitutionem Gregorii XIII. quæ incipit *'Quoniam sæpe contingit'* et S. Pii V. quæ incipit *'Romani Pontificis'*. Doctores animum intenderunt ad istas Constitutiones explicandas.

17. Et quidem Navarrus cum Sanchez *de Mat. Disput. 17. lib. 2.*, et alii tenuerunt Romanum Pontificem, qui dispensare potest inter fideles a vinculo matrimonii rati et non consummati, posse dispensare et de facto dispensasse in vinculo matrimonii consummati, quod cum Sacramenti ratione careat infirmius esse dixerunt vinculo matrimonii inter fideles.

18. At alii cum Pontio *de matrim. lib. 9. c. 2.* negarunt hanc facultatem Pontifici competere, animadvertentes Christum Dominum Matth. 19. revocasse matrimonium ad pristinam conditionem perpetui contractus inter unum et unam idest ad jus divinum primigenium monogamiæ.

19. Quare cum constet solummodo in casu privilegii Paulini et non alio in casu concessam fuisse licentiam dissolvendi conjugium in infidelitate contractum et consummatum, dicendum est Romanum Pontificem dispensando dissolvere vinculum conjugii ejusdem. Cf. *Benedictus XIV. De Synodo Diœcesano lib. 6. c. 4. n. 3. et seq. et cit. lib. XIII. cap. 21. per totum.* In hisce locis doctissimus Pontifex plenissime tractat de conjugii in infidelitate

contractis deque eorundem solutione ob conversionem unius conjugis ad fidem. Porro *in n. 5. c. 4. lib. 6.* refert eo tempore quo ipse Secretarii munere fungebatur, Sacram Congregationem Concilii in causa Florentina 'abstinuisse a sententia ferenda circa potestatem Romani Pontificis rescindendi vinculum conjugii in infidelitate contracti et consummati.'

Quidquid vero sit de hac potestate Romani Pontificis, credimus optime posse defendi decisiones Gregorii XIII. et S. Pii V.

20. Et sane, Privilegium Fidei in eo consistit, ut matrimonium contractum in infidelitate resolvatur quando pars conversa ad fidem legitime contrahit matrimonium. Ut autem pars fidelis legitime contrahat matrimonium tenetur ex præcepto divino interpellare aliam partem utrum velit converti vel saltem pacifice cohabitare et absque contumelia Creatoris. Igitur ipsa conversio ad fidem dat jus contrahendi novum matrimonium, solummodo remanet præceptum interpellationes faciendi. Hanc theoriam plane confirmat citata responsio S. Officii diei 1. Augusti 1759. per hæc verba 'Conversus ad fidem in ipso conversionis momento non intelligitur solutus a vinculo matrimonii cum infideli adhuc superstite contracti, sed tunc acquisivit solummodo jus transeundi ad alias nuptias cum conjuge tamen fideli, idque si conjux infidelis renuat post interpellationem converti'. Jamvero posita legitima causa vel distantiae locorum, vel incogniti domicilii alterius conjugis etc., super observantia divini præcepti interpellationum faciendarum dispensatur a Romano Pontifice. Ergo pars conversa utitur jure suo ex conversione ad fidem accepto, et legitime novum contrahit matrimonium. Merito igitur hoc matrimonium sustinetur, et primum dissolutum fuisse decernitur. Nec Ecclesia decepta est quando dispensationem ab interpellationibus faciendis concessit. Nam vera et certa erat causa ob quam dispensationem concedebat. Cf. *Benedictus XIV. De Synod. lib. 13. c. 21. n. 4. in secunda medietate.*

21. Quæstio secunda proponitur. Quid dicendum, si vir in infidelitate plures habuit uxores? Siquidem fieri potest ut unus idemque homo in infidelitate simul habeat plures uxores, saltem quia ob leges locorum concedi solet facultas divertendi a prima et, ea adhuc vivente, ducendi aliam uxorem.

Profecto matrimonium in jure primigenio intimato protoparentibus fuit institutum ita ut esset monogamum. Clara sunt

verba Geneseos: 'Vir adhærebit uxori suæ et erunt duo in carne una.'

Huic legi facta est dispensatio præsertim post Noë ob duritiam cordis Judæorum, et ob necessariam propagationem populi Judaici, ita ut cap. 21. Deuteronom. pluralitas uxorum exhibeatur ceu res quæ in communem consuetudinem honestam et legitimam transierat.

22. Utrum etiam inter Ethnicos eadem dispensatio vires habuerit, controvertitur inter Doctores. Sententia negans veritati magis consona videtur, quia dispensatio est vulnus legi ac proinde non præsumenda sed probanda est. Accedit quod ratio propagationis populi, quæ inter Hebræos valebat, non eadem prorsus erat pro Ethnicis. Sed quidquid sit de tempore quod Evangelicam ætatem præcessit, post legem evangelicam certum est pluralitatem uxorum fuisse et esse prorsus interdictam. Etenim Christus Dominus Matth. 19. matrimonium ad pristinam monogamiæ conditionem restituit. Siquidem assumens verba illa Genesis, c. 2. 'erunt duo in carne una' concludit, 'itaque jam non sunt duo sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit homo non separet.'

23. Igitur ex lege generali post Christum non verificatur amplius legitimum divortium, quo vivente altero conjuge novum matrimonium cum altera persona contrahi possit. Quare vir conversus ad fidem stare debet cum prima muliere, quia hæc in infidelitate vera uxor fuerat, reliquæ vero veræ uxores esse non poterant. Cap. 8. h. t.

24. Quid vero si prima mulier interrogata, nollet christianam religionem amplecti, nec vellet pacifice et absque contumelia Creatoris cohabitare cum viro?

Hoc in casu potest quidem stare cum secunda si convertatur ad fidem, non vero tenebitur. Quia verum matrimonium solummodo cum prima intercesserat, non vero cum posterioribus.

Ex dictis etiam patet virum infidelem polygamum stare debere cum prima, quoties ipse cum omnibus suis uxoribus ad fidem convertatur.

25. Verum S. Pio V. expositum est invaluisse inter Indos morem, ut qui in infidelitate plures habuissent uxores eam quisque retineret, uti suam, quæ secum Christianam fidem suscipere consentiebat. Et quidem non semel contigit ut mulier hæc non

esset prima uxor sed posterior. Arduum vero erat Indos divellere ab istis uxoribus, cum quibus inito fœdere veram religionem amplectebantur, et baptismum suscipiebant. Sanctus Pontifex omnia perpendens in citata Constitutione '*Romani Pontificis*' impressa in 5. parte *Constit. Apostol. pro Missionibus Sinarum et Tunkini* motu proprio et certa scientia et de Apostolicæ Potestatis plenitudine declarat ut Indi baptizati et in futurum baptizandi cum uxore, quæ cum ipsis fuerit baptizata et baptizabitur, remanere valeant tamquam cum uxore legitima, aliis dimissis.

26. Doctores nonnulli inter quos Navarrus *Cons. 3. lib. 3. n. 12. et seq. De conversione infidelium*, et Sanchez *de Matr. lib. 2. disput. 17.* inferunt ex hac constitutione Romanum Pontificem posse solvere vinculum matrimonii contracti et consummati in infidelitate, quando infidelis convertitur ad fidem. Matrimonium enim cum secunda vel tertia muliere consistere nequit nisi vinculum matrimonii contracti cum prima muliere resolvatur.

27. Benedictus vero XIV. *De Synod. lib. 13. c. 21. n. 4.* adhærens sententiæ Pontii *de Matr. lib. 7. cap. 48. n. 22.* tradit Romanum Pontificem revera non solvisse vinculum matrimonii infidelium in casu, sed matrimonium dissolvi ex privilegio divino fidei; Romanum vero Pontificem interpretatum fuisse præceptum divinum interpellationum faciendarum. Hoc siquidem præceptum est et ipsum in bonum fidei; quod proinde non videtur urgere quando certa est conversio ad fidem unius ex mulieribus, quas vir habuerat in infidelitate. Hinc cognita conversione unius mulieris, Pontifex declaravit consistere posse matrimonium inter hanc et virum conversum ad fidem, quin vir primam mulierem interpelleret utrum ea vellet necne Religionem Christianam suscipere vel pacifice cohabitare.

28. Quæstio tertia proponitur. Quid dicendum si matrimonium in infidelitate contractum fuerit inter personas impedimento dirimente ligatas, et alteruter vel uterque conjux ad fidem convertatur?

Quæstio resolvitur ex cap. 8. h. t. Scilicet distinguendum est inter impedimentum juris ecclesiastici, et impedimentum juris naturalis, vel positivo divini. In secunda hypothesis matrimonium nullum est, et separandi sunt conjuges, quia etiam infideles ligantur impedimentis juris naturalis et juris divino positivi. Hinc fratres et sorores in primo gradu non possunt in matrimonio perseverare

post conversionem utriusque vel alterutrius ad fidem. Quodsi autem impedimentum fuerit solummodo juris ecclesiastici, matrimonium in infidelitate contractum fuit validum, quia infideles non tenentur legibus Ecclesiæ. Quare dissociandi non sunt conjuges, sive uterque fidem amplectatur sive unus tantum fiat fidelis, sed alter consentiat habitare cum fidei absque contumelia Creatoris.

De divortio in matrimonio rato et non consummato inter fideles.

29. Quamvis matrimonium ratum ante consummationem ordinetur ad statum permanentem et exhibeat rationem signi unionis Christi cum Ecclesia et Sacramentum constituat, tamen non parit vinculum adeo indissolubile ut nequeat prorsus viventibus conjugibus aliquando resolvi. Etenim matrimonium ratum licet habeat elementa contractus, et Sacramenti, unde exurgit obligatio mutue conjugum ad statum perpetuum, tamen non continet nec exprimit illam omnimodam indissolubilem conjunctionem, quæ in jure primigenio exprimitur, quæque ex divina voluntate procedere dicenda est juxta illud 'quod Deus conjunxit homo non separet.' Nam matrimonium solummodo ratum non exhibet illam completam conjunctionem quam amor sanctificatus ex legitimo fine et ex gratia Sacramenti revera operatur consummatio matrimonii, vi cujus revera verificatur sanctificatio viri et uxoris juxta illud 'itaque non sunt duo sed una caro'. Unde per consummationem matrimonii Christiani optime exprimitur concreta unio Christi cum Ecclesia in reali et perpetuo vinculo amoris.

30. Hinc in cap. 5. '*de Bigamis non ordinandis*' Innocentius III. tradit per matrimonium tantummodo ratum proprie non significari indissolubilem conjunctionem Christi cum Ecclesia sed potius 'caritatem quæ consistit in spiritu inter Deum et justam animam, ad quod pertinet illud quod dicit Apostolus 'Qui adhæret Deo unus spiritus est cum eo (1. Cor. VI.)'. Jamvero hæc conjunctio spiritualis, quicumque sit gradus sanctitatis, dici non potest, quoadusque anima justa est in via, absolute indissolubilis. Igitur matrimonium ratum et non consummatum potest dissolvi.

31. Duo sunt casus solutionis: 1º. per professionem votorum solemnium in Religione approbata, juxta ea, quæ traduntur in titulo *De conversione Conjugatorum lib. 3.*